

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam  
Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In  
Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo  
Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Reverendis Patribus ac Tratribus Carmelitis Excalceatis, Qui in deserto  
sancti Ioseph, vulgariter Batvecas nuncupato, in Hispania commorantur,  
aliisq[ue] Ordinis nostri Eremitis, In D. N. Iesv ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38621**



VENERABILIS PATRIS  
**THOMÆ à JESU**  
 CARMELITÆ DISCALCEATI,  
**DE CONTEMPLATIONE DIVINA**  
**LIBRI SEX.**

Reverendis Patribus ac Fratribus  
**CARMELITIS EX CALCEATIS,**

*Quia in deserto sancti JOSEPH, vulgariter BEATVS CAS*  
*nuncupato, in HISPANIA commorantur, aliisq; Ordinu noſtri*  
*ERE MITIS,*

IN D. N. IESV CHRISTO SALVTEM ET OMNE  
 BONVM.



VÆ inter vos aliquando didici, quæque se perferre  
 annorum curriculo, quo sanctæ vestræ conversationis  
 particeps factus sum, docui, ea nunc ad clariorem stylum  
 redacta, & in meliorem ordinem digesta, RR. Verbi  
 libens offero, scutum sacrum in sacram solitudinis ascen-  
 ditatis matricem, in qua primitus conceptus est, refu-  
 rus. Quibus enim sublimis illa ac divina theoræ, seu  
 contemplationis tractatio potior titulo debebatur, quam  
 illis, qui ab hominum confortio remoti, diu noctuque  
 iugi orationis ac mortificationis studio incumbentes, Angelorum more puros ac  
 defecatos mentis oculos in divina cœlestiaque desigunt? Hic quippe præcipuis  
 instituti vestri scopus est, in quem toti collimatis, in quem omnes animi conatus  
 affectusque dirigitur. Nam (ut rectè D. Basilius lib. De laude virtutis solit.) *Vita*  
*hec, cœlestis doctrina schola est, divinarum artium disciplina; illic Deus est totum quod di-*  
*ficitur.* Quid sanè aliud sunt artes istæ divina cœlestisque doctrinæ (de quibus  
 hoc Basilius) quam illæ quæ discuteant, vel (ut clarius loquar) quas DEVS mis-  
 recorditer infundere solet charioribus suis discipulis, qui in hac orationis & mor-  
 tificationis schola se gnaviter, studioseque exercent, qui ab exterioribus subdu-  
 eti, atque à dispersionibus congregati (juxta magni Dionysii sententiam) ad divi-  
 num contemplationis radium mentem convertunt? Talibus profectò ad cœle-  
 stis theoræ apicem sic conantibus, dextram porrigit adjutricem benignissimus  
 DEVS, mentem illorum per nobilissimum sapientiae donum misericorditer illu-  
 strando, prout asserit I<sup>s</sup>aias cap. 58. *Requiem, inquit, dabit tibi Dominus, & im-*  
*plebit splendoribus animam tuam.* Quid certè aliud exercitia omnia, quæ in cœ-  
 lesti ista divinae solitudinis palestra discuntur, respiciunt? quid aliud pro scopo  
 habent, quam purum hunc animæ splendorem, splendidamque puritatem?  
 Hoc disertè inter alios tradit Joannes Cassianus Collat. I. cap. 4. *Finis qui-*  
*dem, ait, noſtra profecionis, ut diximus, regnum Dei, seu regnum celorum est; de-*  
*ſtinatio vero noſtra, id est carnosus, puritas est cordis, ſine qua ad illum finem im-*  
*poſſibile eſt quempiam pervenire.* In hac ergo destinatione figentes noſtra direktionū  
 obtutus,

obtutus, velat ad certam lineam cursum rectissimum dirigimus, ita ille. Ad hanc cordis puritatem, tanquam finem, confequitur purus ac clarus Deus in tuitus, quantus in hac vita mortali haberi potest: tunc anima passionibus mortua, supernorumque charismatum rore fecunda, ad altissimum divinæ maiestatis conspectum evehitur.

Porro, si vita solitaria (ex communi SS. Patrum doctrina) est perfectorum status; necessarium quoque est, Eremitarum seu solitudinem contentum exercitia sublimiora esse ac perfectiora, quam eorum, qui vitam cœnobiticam, communemque sectantur. Hoc breviter docuit Cassiodorus lib. 8. De instit. Monachorum. Solitudo, inquit, novit emendatus moribus contemplationem purissimam referare, & intus sincerissimis spiritualium sacramentorum scientiam revelare. Haec ille.

Et haec quidem præcipue rationes sunt, quæ me moverunt, ut istos de divina contemplatione Libros inscriberem & dedicarem omnibus, qui in sancta nostra Religione vitam Eremiticam profitentur: speciatim tamen vobis, inter quos felicissimo illo septennio, quo gratia divina me tam sanctæ societatis ac solitudinis cultorem fecit, paucos inveni, quibus DEVS sublimem hanc infusa & supernaturalis contemplationis gratiam non communicaverit. Et in DEI Opt. Max. benignitate, cuius manus numquam est abbreviata, confido, quod idem alii Eremiti vestrum Pralati ac spirituales magistri in posterum experimento deprehendent. Quocirca omnes humiliter rogo, ut Librum hunc ea sinceritate, affectuque recipiatis, quo eum ipse offero; aliud de oratione infusa & supernaturali Tractatum, cuius hic, qui de divina contemplatione inscribitur, nobilior pars est, propediem in lucem daturus. Illud autem à vobis enixè peto, ut fratris ac minimi servi vestri, in orationibus & sacrificiis meminisse dignemini. Datum Bruxellæ, in Conventu nostro S. MARIAE Virginis, XXI, Martii, anno à partu Virgineo M. DC. XIX.

## RR. VV.

Humilis in Christo servus

F. Thomas à Iesu

PRÆ-